

rationis calculus et apud Deum et homines laus vestra floreat apud fratrem vestrum fraternis effectibus demonstrata.

247. Absolutio proscripti.¹

Delicta iuvenum, que ex levitate animi inconsulta procedunt, nonnumquam in mansuetudine preterimus nec eorum ad animum revocamus errorem, qui devotos se exhibent ad emendam. Cum itaque t(alis) nuper raptus impetu temere iuventutis dilectum fi(delem) n(ostrum) t(alem) presumpserit captivare, tandem prudenter et provide recognoscens, se regiam maiestatem graviter offendisse, dictum t(alem) resolvi fecit a vinculis, sperans per hoc nostre gracie facilius reformari. Nos igitur dictum t(alem) ad devocionem nostram et Romani imperii humiliter reverentem benigne suscepimus gracie nostre ex integro pro excessu huiusmodi reformatum. Et ut circa eum nostre clemencie nichil desit, omnes proscriptcionum sententias a nobis et nostris iudicibus ratione contumacie promulgatas in ipsum auctoritate regia revocamus, volentes, ut adversarii sui, ad quorum instanciam est proscriptus, ex integro sibi moveant questionem coram iudice competente. Has autem gratias profluentes a multitudine regie pietatis eidem impendimus, ut pro remissis excessibus incessantes fructus obsequii resumamus.

249.

Sincere fidei et preclare devocionis prestanciam, qua strenuus vir t(alis) nostrum et sacri honorem imperii cum pura mentis alacritate prosequitur, benignius intuentes, sibi officium t(ale) cum omnibus et singulis iuribus, consuetudinibus ac aliis quibuscunque, que de eodem officio solvi hactenus sunt consueta, necnon cum ceteris attinenciis universis quocumque nomine censeantur ex nostra liberalitate et ex certa sciencia concedimus a nobis et imperio quam diu vixerit obtinendum. Igitur vobis universis et singulis districte precipiendo mandamus, quatinus ipsum in consecucione omnium iurium ad officium predictum spectancium ac illorum, que de ipso persolvi de iure tenentur, pro nostra reverencia studeatis favorabiliter promovere, sic quod omnia et singula iura et consuetudines prenotata^a sibi sine impedimento quolibet plene et integre assignentur.

a) 'pnotatas' T.

1) Künftig in 'Constitutiones' III.